

Carmen elegiacum Roberti Bridges de Noscomio Sti Bartolomæi londinensi in quo narratur historia foundationis nosocomii : memorantur illustrissimi viri qui olim ibi versati sunt. Accedunt quædam de medicis et chirurgis qui in eodem loco hodie officiis funguntur / Sequitur denique aliquid [Greek phrase] sive de ratione medendi Patricii Black.

Contributors

Bridges, Robert, 1844-1930.
Black, Patrick, 1813-1879.

Publication/Creation

Londini : Impensis Eduardi Bumpus, 1877.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bqcb3kk7>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




(2) CAF. 43. C


(BAR)


Strongylin
Sp. 11.



22501270665










Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b24867457>







CARMEN ELEGIACUM
ROBERTI BRIDGES

DE

NOSOCOMIO STI BARTOLOMÆI
LONDINENSI

In quo narratur HISTORIA FUNDATIONIS
NOSOCOMII: memorantur ILLUSTRISSIMI
VIRI qui olim ibi versati sunt. Accedunt quæ-
dam de medicis et chirurgis qui in eodem loco
HODIE officiis funguntur. Sequitur denique
aliquid *περι πραξεως* sive de ratione medendi PA-
TRICII BLACK, in nosocomio medici senioris,
cum amicis ejus gratissimum, tum studiosis uti-
lissimum : ad eundem ipsum

ORNATISSIMUM VIRUM

PATRICIUM BLACK MD. ETC.

SCRIPTUM EIQUE DEDICATUM

*“ Si qua videbuntur casu non dicta latinè,
In qua scribebam barbara terra fuit ”*

LONDINI

Impensis Eduardi Bumpus, Holborn Bars: in cujus
officina exemplaria venundantur

1877

WELLCOME INSTITUTION

ROBERT BRIDGES

WELLCOME INSTITUTION

1911

WELLCOME INSTITUTION

Shanghai.

Coll.



(2) CAF. 43. C (BAR)

ROBERTUS BRIDGES PATRICIO BLACK

S. P. D.

QUUM tibi nuper, amice, carmen elegiacum more Etonensium pollicitus sum, ut menses quattuordecim, quos tecum in Nosocomio nostro transigebam, monumento quodam cum animi mei grati tum indolis et leporis tui commemorarem; numquam in mentem venit ut extra numerum versuum hujusmodi carminis ordinatum excederem, vel ut nugas meas, quas oculis tantum tuis destinabam, eas in publicum proderem. Attamen, versibus de die in diem crescentibus, quos in horis subsecivis, et præcipue dum jentaculum mecum sumebam, diligenter accumulabam, carmen, quum jam longius fieret, jamque ex ipsâ prolixitate aliquid gravitatis sibi comparasset, id ut totum prelo committerem, amicis ut me rogarent, si non ut impetrarent, occasionem dabat. Multa quidem, in quibus peccavisse videbor, si lectori facillime appareant, multa etiam in excusatione meâ facilius responsurus forem: hæc tamen omnia ingenioso lectori, ut sibi fingat, relinquo: ne forte, si in illorum enumeratione demorer, in hâc præfatione eâdem incommoditate offendam, quam mecum jam in ipso poemate querebar. Tu modo carmen, quod jam manuscriptum legisti, lectum autem approbasti, hoc iterum impressum si leges, aliquantulum emendatius invenias. Vale.

52 Bedford Square

Idibus Decembr. 1876

ROBERTUS BRUNNUS FATTICIO NICK

Quia in hoc mundo...



CARMEN ELEGIACUM



TEMPORA, quæ tecum modo vir, venerande,

Introduc-
tion.

peregi,

Hæc tibi monstrabit pagina prima cani,

Et cita ne mentem capiant oblivia nostrî,

Materia iste mei carminis annus erit.

Ne tibi displiceat mea laus ætate minoris

Emerito, si sit mensa labore dies :

Neu timeas quia promittit quod non medicorum est

Hæc manus, atque aliud quam quibus apta movet.

Ipse deus, quem docta suum medicina fatetur,

10 *Nonne tenet lævâ noster Apollo lyram ?*

Factat utrumque deus donum, jactabit utrumque,

Nec sinit ex spoliis ut cadat ullus honor.

Ergo ego desuetus, quamquam commissa latinis

Tardior et numeris Musa rebellis eat,

Audeo quæ quondam propter Thamesina fluenta

Progeniem docuit mater Etona suam.

Pullulat hæc laurus quocumque inserta, ferendæ

Sit quamquam frondi vix satis aptus ager.

Vos igitur, Musæ, si vestra antiqua voluptas

20 *Auribus imperitans nunc quoque dulce sonat,*

*Quodque hodie priscos non deseruistis amores,
 Et magis audenti fertile numen adest ;
 Vos per quicquid adhuc his degenerantibus annis
 Cordi est, (cara mihi nam meliora,) voco !
 Vestra meis utinam numeris sit fausta potestas,
 Divinusque decor vester adornet opus.*

The history
of the
foundation
of the hos-
pital by
Rahere ;

EST locus eoīs Londini in partibus urbis,
 Dive, tibi semper, Bartolomæe, sacer :

Hic ædes olim parvas, sic fama, Raherus
 Condidit ; id votum fecerat ille deo ;

30

Regius Henrici citharæ fidiumque minister,
 (Vel rudis Henrico rege peritus erat :)

how he
went to
Rome,

Dicitur ille quidem, Domini cælestis ob iram,
 Accessisse sacras advena Thybris aquas :
 Numina quod melius perhibent neglecta piari
 Imperii tumulo posse, deûmque loco.

(*Montibus his toto sua culpa remittitur orbi :
 Quis tantum fati credat habere locum ?*)

At vix digresso vati lustralibus aris

and took a
fever :
his vow ;

Occupat extemplo membra rigore febris :
 Jam cubat, et veritus ne dīs quid omiserit æqui
 Majora ex magno dona dolore vovet ;
 Ædes pauperibus sanato corpore ponet,
 Sanior acceptas scit simul esse preces.

40

his vision.

Inde domum repetens videt inter somnia monstrum,
 Quo super ipse sedens aëre fecit iter ;
 Quale animal nunquam peperit bona terra, ut haberet
 Spina duas alas bis totidemque pedes :

Idque hominem sistit procul a regione viarum ;

Ilicet haud nostri prospicit orbis agros :

50

Sub pedibus barathrum despectat sulphure fumans ;

Jamque cor horror habet, ne rueretque timor.

Tum vero aggreditur cælestis forma timentem,
Candidior pura cui nive vestis erat.

“Excute corde metum,” dixit, “sum Bartolomæus ;

Quantum illi tribues qui tibi præstet opem ?”

“Quicquid,—sufficiant modo vires, sufficiet cor,—

Jusseris, hoc faciam ; quod petis, ecce, dabo.”

Hæc vir, at angelus ille Dei rata vota requirit ;

60 Nomine rem sumpsit, præstituitque locum.

Nec mora, pollicito rursus simul omnia vate,

Diffugiunt oculis somnia, corde timor :

Inceptumque ibi pergit iter : Notus urget euntem ;

Et medias celeri jam rate findit aquas :

Littora inalbescunt, aperitur portus, at ille

Egressus voti se tenet esse reum.

Rex quoque se sociat vati, et donavit asylum

Quo cura ægrotis pauperibusque foret :

Hisque domus votis fundata et origine parvâ

70 Nunc ope multorum munificata viget.

Vix auctor si nunc supera ad convexa resurgat,

Tantam ædis molem crederet ipse suæ.

QUINQUE colosseis apparent mœnia tectis ;
—Quattuor hæc ratio prima habuisse docet:—

The hos-
pital as it
now stands.

Inter quæ medio quadratâ est area formâ,

Datque frequentatum terra pavita forum ;

Plurimaque inclusis umbram circumjicit arbor,

Submittitque suas fons speciosus aquas.

Fama huc invalidos, huc spes invitat egenos,

80 Liminis auxiliis hospitioque frui.

Ergo extra muros stat squalida turba, foresque

Personat, inque aulam nocte dieque coit ;

Declarant morbos, ostentant vulnera quisque,

Pro ratione mali præmia sortis habent.

The school
of medicine
famous.

HIC schola magna sedet medicinæ, cujus in omnes
Pervenit terras fama, et ubique sonat.

Harvey.

Hinc primum Harveii lux posterioribus orta,
Quem sol pro socio novit Aristotelis :
Primus qui docuit venis ut sanguis utrumque
Perfecto cursum compleat orbe suum. 90

Quin memorant hominem, tantâ dulcedine captum,
Vergilium studiis antetulisse suis :
Atque in rem physicam queribundos carmine ab aureo
Vix averti oculos, vix animumque trahi.

Perceval
Pott.

Pottius hunc sequitur, sed temporis ille secundus
Longo intervallo, sicut honore, fuit ;
Qui docuit recte casum cognoscere, talo
Quum facit inverso fibula fracta locum :
Quinetiam gibbis paresin sic igne levabat,
Viderit ut morbos nomen habere suum. 100

John
Hunter.

Illius ante pedes surrexit fama Joannis
Hunteri, dici quem docuisse decus.
Quem sacra consiliis jamjam Natura retextis
Haud dedignata est participare suis.
Quotquot habet campis animalia dædala tellus,
Et quod squamigerum parturit unda genus :
Quæcunque assiduum volucris secat aera pennis,
Quod fodit aut repit, quod sedet atque viget :
Illorum species habitusque exquirere cura,
Quo se corpus alat, sentiat, efflet, agat : 110
Principiis egressa quibus formam integriorem
Per varios capiat mystica vita gradus.
Nec puduit partes introspexisse pudendas,
Visceraque humanâ fœda fidisse manu :
Et quum multa esset scrutatus, perque latebras
Antehâc ignotum præmonuisset iter,

Visus naturæ novus extricarier ordo,

Et develari mens operosa Dei :

Quodque hodie nobis manifestum agnoscitur ultro,

120 Illius hoc hominum fixit in ore labor.

Hoc duce processit studiis Pitcarnia proles,

Quo versabatur gens memorata loco :

Et qui corruptos descripsit Brodius artus :

Mens et Abernethi, docta, jocosa, sagax ;

Illius implevit nimis artum fama theatrum,

Quod fuerat Norsii tempore grande satis.

Sedibus ergo ædes cuneatis major eodem est

Ædificata situ, pro veterique nova.

(Jamque alio fruitur monumento rhetoris umbra,

130 Datque sodalitio nomen inersque decus :

In cujus cœtu studiosorum hebdomadali

Prodit inexpertas languida turba theses.

Ipsè aliquando tamen quiddam inter inania digni

Audivi, et vidi scandere rostra patres.)

Nec tua, Laurenti, quamvis male grata sodali

Laus fuerit, nobis intemerata silet.

—Tantum religio dubitantibus invidet æqui,

Tam salibus sapidos triste bibisse sales.—

Qui culpabatur liber ignoratur in ævo

140 Quo se laudari, dum tacet ira, videt ;

Quo pueri fines prætergrediuntur eosdem,

Quos placuit pedibus constituisse tuis.

Sed quod in arte tuâ scripsisti fertur in usum,

Hoc, quia nemo potest hoc superasse, manet.

Nec genus est verbis famæ præstantius ullum,

Quam fieri longâ nobilitata die.

Longe aliter celebris medicus Radclivius Annæ,

Cui, si non scriptis protulit artis opus,

The two
Pitcairns.

Sir Benja-
min Brodie.
Abernethy.

The Aber-
nethian
Society.

Lawrence.

Radcliffe :

At certe ante omnes risit Medecina suorum,
 Dives ut ante omnes, sic quoque honestus erat. 150
 —Ingenio mores ignoscit vulgus apertos,
 Patriciis pretium est fastibus ingenium.—
 Hunc olim asciri jussit rex æger ad aulam ;
 De tumidis suris de pedibusque rogat :
 Tum simulac medico nudantur hydropica membra,
 Pro ratione affert consilioque jocum.
 “ Non tua si tria regna dares mihi, maxime, vellem
 Hac mercede duos regis habere pedes.”
 Sic *μεγαλόψυχος* vixit, moriensque per urbes
 Sparsit inexhaustas quas cumulârat opes. 160
 Illius Oxoniæ camerâ testudo globatos
 Protegit ingenti quos dedit ipse libros :
 Illius astrologus fruitur nunc munere, cæli
 Ut studet antiquas præteritasque vices :
 Turre, in quâ faciem crystallis pingit inunctis
 Auxiliante suâ Cynthia luce suam.
 Illius impensis Europæ visitat urbes
 Qui nova sic discat facta feratque domum.
 Illius invalidis Academia præbet asylum,
 Illius æger adhuc frangit in urbe cibos. 170
 Præterea memoranda venit gens læta laborum,
 Carmine digna, quibus postera fama brevis :
 Latham. Rheumatico Lathamus qui febricitantibus arte
 Profuit in morbo, discipulisque suis :
 Stanley. Necnon qui studuit Stanleius ossibus, inter
 Lectos procumbens mortuus ipse suos :
 Kirkes. Et quem corripuit subito pulmonea febris
 Kirkesius, tetraë victima facta luis :
 Baly. Cujus et ante omnes spes elatissima, Balî
 Ante diem a Parcis exonerata colus. 180

Hisce suos alii jam conjungere labores,
Quos et adhuc afflat lux et aperta dies.

Sic sua jam vidit toties Watsonius edi

Watson.

Vixque senectutem scripta referre suam.

Sic sedet ille senex Musei Owenus in umbrâ,

Owen.

Ingentem e trunco qui pede fecit avem.

NEC minus hîc hodie fugat ars chirurgica mortem,
Debellaatque novâ vi medicina malum.

The pre-
sent staff.
Four physi-
cians :

Hîc habet Andreades sedem, doctissimus unus,

190 Testetur juvenum turba secuta pedes ;

Dr Andrew.

Testentur bigæ, nova vis testetur equorum,

Testentur, quas hæc testificantur, opes.

Quot quales faciat quantosque arteria pulsus,

Quantum vitalis membra caloris agat :

Quo levis appositæ pulmo bene sibilet auri

Murmure, quæ læso murmura corde fremant :

Quæ morbis et quanta quibus medicamina prosint,

Ingressus, causas, vimque fugamque mali :

Hæc docet, hæc discunt juvenes gaudentque doceri ;

200 Ille, elementa suæ dum docet artis, amat ;

Lætus et auxilio studiosis esse, peritos

Ut medicos in rus mittat ab urbe suos :

Nec tantum vacuâ distat mihi numus ab arcâ,

Quantum hujus lucri pectore quæstus abest.

Hunc operum consors, satus est qui stirpe poetæ,

Dr South-
ey.

Southeius sequitur : par sibi gentis honor.

Tertius est indit cui sancta Ecclesia nomen,

Dr Church.

Lataque procero pectora barba tegit :

Hic pede ferrato doctus percurrere summa

210 Flumina, cum solido stant adoperta gelu :

Judice quo medicam libertatemque gradumque

Laurea poscenti baca negata mihi. †

- Dr Gee. Quis venit ille autem gracilis comptusque capillos,
 Grandia terga sequens, dimidioque minor?
 Tute, Gei, mihi quem dulce est habuisse magistrum,
 At quanto comitem dulcius esse tuum.
 Ipse gregem video te circumstare sedentem,
 Jam repetoque diem cum gregis unus eram:
 Et desiderio moveor, nec credor ab ullo
 Velle meum quem nunc occupat ille locum. 220
 Ut deceat nuper-natos curare docebis,
 Aptare ut tenues mollia ad ora cibos:
 Teque auscultantem palpantem et percutientem
 Pectora, sic morbi ducere signa vident:
 Tu nisi et exemplum mihi consiliumque fuisses,
 Rideret rapidâ me schola docta fugâ.
- Four surgeons:
 Mr Holden.
 Parte aliâ scalpella micant. Holdenius ævo
 Jam senior primum scit retinere locum:
 Comis; at imperio dignissima forma, quod altæ
 In primis princeps munere sedis habet: 230
 Et bonitate levat curas odiumque juventæ,
 Quum turpe incipiens artis inaudit opus.
 —Tempus habebatur barbæ vetus atque remotum;
 Barbati tonsos nunc memoramus avos:
 Esse rudes horum mores antiquitus aiunt;
 Si quid adhuc superest mitius illud erit:
 Depingunt mea verba virum, veniamque locuto
 Quem laudo comem comiter ipse dabit.
 Ex scriptis liceat tantum meminisse duorum,
 Hic teneras carnes, hic docet ossa liber. 240
- Mr Savory. Fulgeat hoc utinam versu Savorius ille,
 Ut vitâ et factis splendidus ire solet!
 Hoc ornata legens quisquis mea carmina dicat,
 Chirurgo haud alii tradere membra velim.

Nec facies fallit, verax ea mentis imago,
Talem crede animo, corpore qualis adest :
Utque decet Celso tales auctore, sinistrâ est
Quam dextrâ promptus non minus ille manu.
Nec durescit adhuc jam consuetudine sensus,
250 Tempore nec constans artis hebescit amor.
Ars longa est et vita brevis, perfectus in arte,
Ars perfecta quidem si foret, hic fuerit.
Proximus huic cujus vox derivata Kalendis,
Quem fasto comites instituere die :
Qui doceat curetque haud noscitur aptior ullus,
Qui vel in articulo commoditatis agat :
Nempe minutarum sculpsit miracula rerum,
Quodque oculorum aciem sectile ridet opus :
Cæca etiam voluit medicato excludere lino
260 Aëre pestifero semina quotquot eunt :
Fulcroque incumbens multum monstrabit aventi
Utile cognosci, vulneribusque bonum.
Prætereant illi quibus est fissura palati,
Queisque patet fisso rimula fæda labro :
Proderit his Fabius qui conserit, huic quoque morbo
Ejus opus digitis artificique manu.
UNUS HOMO VOBIS OPERANDO RESTITUIT REM,
Quod natura parum fecerit, ille facit.
Vidi ego clara quibus vox venit et ipsa venustas,
270 Cum male ringentem rem tetigisset acu.

Mr Callender.

Mr Thomas Smith.

NOMINA quæ restant memoratu digna virorum
Barbara discerpunt impediuntque modos.
Tu concinna, precor, verba hæc ignosce labori
Dissona et in numeros suscipe, Musa, viros !

The junior members :

- Mr Willett. Gibbosis valgis varis Guillettius adstat :
 Quo duce quisque suis induit arma malis.
 Res ut verba sonent, valgi distorta videntur
 Extrorsum, vari tangere crura genu.
- Mr Lang-
 ton. Demonstratores olim Langtonius acer,
 Cui fugit appositas hernia lapsa manus : 280
- Mr Marsh. Et Marsus pueris chirurgicus atque puellis,
 Pondere qui coxas corrigit invalidas.
- Dr Brun-
 ton.
 (Vivisec-
 tion.) Hunc bene consequitur ranis Bruntonius hostis,
 Promptus aberrantes vivisecare canes.
 Nec mea rem referens horrescit Musa ; malorum
 Ortus in humanos non potis arte trahi.
 GALVANI RANAM, EST OPERÆ, COGNOSCITE CIVES !
 Galvanoscopicae crura notate feræ:
 Ut populi vocem vera argumenta refellant,
 Istaque nummipotens jam sileatur anus : 290
 Ne nova lex nobis præmolliter abroget artem,
 Utile seu cædat sive releget opus.
 Magnanimi ! nimis hoc vobis crudele videtur ?
 Hoc crudele aliquid nobilitatis habet.
 Hic simul humanis prodesse inventa videntur,
 Quoque loco cecidit rana, resurgit homo.
 At si ranarum sunt qui moveantur amore
 Abstineant nobis vim, petat ira grues.
 Me docuisse tuos, non ut sequar ipse, labores,
 Hæc tibi, Bruntoni, gratia semper erit. 300
- Dr Legg. Consors consorti nunc adstat vivisecanti
 Qui vitâ humanâ corpora functa secat :
 Scilicet Andreades quibus et Southeius arte
 Morti inferre suâ non potuere moras,
 Horum, ut spectentur, nudata cadavera raptim
 Illius ante pedes projiciuntur humi.

“En age,” quisque vocant, “huic credo cor esse
bovinum ;

Divino renes : profer, amabo, jecur.”

Persectatur ovans diri vestigia morbi,

310 Victoris reteggit stigmata si qua manent :

Scalpit scalpellis, serrat serrabile serris,

Vellit vestitâ flexiliora manu :

Et quæ forte oculos fugiunt subtilia nudos,

Sub microscopico lente videnda locat.

Leggius huic nomen, nomen risere Camcænæ,

Ridebitque suum Leggius ipse legens.

Ille hæmorrhagico de morbo scripsit, et auctor

Quinquifidum geminâ nunc studet arte jecur.

Pistori et Dycio proprii tribuuntur honores :

320 Hic canitur nappâ promptus, at ille manu :

Curat hic Andreadis seniore absente cubantes,

Et geminos multâ sedulitate suos.

Dicitur ille, locum quum forte æstate tenebat,

Et fungebatur munere primus heri,

Exercere manum voluisse artemque vacantem,

Hactenus et dubium præsecuisse genu :

Quum rediere patres medicandos visere pergunt,

Servandumque vident hujus abesse pedem :

“*Quid tibi cum gladio?*” dicunt : Pistorque, “necesse

330 Ut visum est feci, prætereaque nihil.”

Pelve cavâ Viridi jus circumscribitur Halgo,

Plura tamen prægnans femina jura dabit.

Nec, Colemanne, tuo quia tam provincia parva

Obtigit ingenio, laus erit inde minor.

Magna quidem minimis læduntur ; parvus et est
dens,

Si tamen hic doleat, maximus ille dolor.

Mr Baker
and Dr
Duck-
worth.

Dr Green-
halgh.

Mr Cole
man.

Aurea dona ferens manibus, sub dentibus anguem,
 Astabam ipse tuas pallidus ante fores :
 Post dives factus benefacto, salvus et arte,
 Aurea dente meo jam tua dona fero. 340

Dr Hensley. Hensleium doctos inter numerabo sodales,
 Hensleius numeros poscit ab arte lyræ :
 Quem nostrum ad Thamesin Camus venerabilis olim
 Misit, et a primis præmia quarta dedit :
 Jamque mathematicam medicinæ subjugat artem,
 Et suus Euclides invidet Hippocrati.

Mr Power. Ingenuo lippos Povero cura tuendi,
 —Quid si sit scitus, quis negat ingenuum?—
 Doctus originibus vitæ, nostratibus artem
 Liberat ille suam pondere teutonico. 350

Mr Vernon. Huic iterum impertitur onus Vernonus, agendis
 Cui mens in rebus strenua, firma manus.

Mr Macready. Quinetiam liceat quendam celebrare minorum—
 Æquales fuimus cordaque juncta fide—
 Filius in scena tragico Macrædius artem
 Majorem accepit dissimilemque patri :
 Chirurgus fuerit medicusve, notabitur ejus
 Pro gestis plusquam carmine fama meo.
 Quem memoro quia sæpe meos currebat ad ægros,
 Ut conferret opem consiliumque daret ; 360
 Et tacitos propter mores navamque juventam,
 Et quamvis tacitam propter amicitiam.

The consulting
 staff :

LONGUS ab hoc dixi medicorum clauditur ordo,
 Et jam proposito est longior usque modus.
 Hei mihi ! per tantos celebranti nomina versus
 Defuerant fasces imperiumque loci.

Heu ubi Farreius, prælector pharmacopœiæ?

Dr Farre.

Cujus erat nostrâ nobilis arte pater.

Heu ubi et Harrisius? nec tantum Musa gemebat

Dr Harris.

370 Absentem, quantum viribus orba domus.

Sæpe hunc Anderidâ sub cælo Octobris ab urbe

Venatum in silva ruris agebat amor.

Cum quo, mirum adeo! venabula ferre lacerto

Visus, postque canes in nemus ire Geus:

Tantum non Phædræ versum hunc confessus amico,

Si Venerem tollas barbara silva tua est.

Nec jam mutarat tantas agrestibus artes,

Cesserat haud ferro ligneus ille tubus:

Quem nisi nunc reducem fecissem, sponte volentem

380 Crederet elapsum lector abesse suâ.

CONSUL erit nobis præscripto tempore functus,

Quem schola in incertis consulet usque suum:

Hinc habet officio majorem consul honorem,

Jussus uti stadiis cedere victor equus.

Consulibus Pageto Burrowso tempora canto,

Sir James
Paget.

Factus pro meritis alter et alter eques.

Alter, Abernethi dudum sectator, herilem

Attingit famam, præteritque suâ.

Nam quod avis magnum cecini nimiumque thea-
trum,

390 Vidimus hoc spatii nos habuisse parum:

Atque *recurrentes* primum scripsisse *tumores*

Non extirpandum nomen in arte dabit.

Hunc memini me insigne indutum auroque niten-
tem

Sir Geo.
Burrows.

Vix vidisse semel, sed placuisse viro:

Cum schola Londini medicorum regia partem
Me declarabat corporis esse sui :

Examina-
tion for
member-
ship at the
Royal Col-
lege of
Physicians.

Ordine censores utrâque in parte sedebant,
Vestiti nigris purpureisque togis.

Præses hic ad mensas sociis rata jura probabat,
Altior atque omni sella curulis erat : 400

Quumque ego quærenti paucis trepidantia verbis
Vix respondissem, si qua rogatus eram :

Ille mihi,—pondus majestatemque loquellis
Addebant ibidem virque decusque loci,—

(Præmia discipuli referentur tanta magistro,)

“Hæc tua jam,” dixit, “sunt quasi verba senis.”

Tum, quam grata fuit, minime meruisse videbar
Talis ego verbum laudis, et erubui.

Conclu-
sion.

ME si forte minor rogitet quis et expetat olim
Vitæ scire vices historiamque meæ ; 410

Quum mihi longa dies hos obscuraverit annos,
Et ventura nimis concidet hora brevis :

Quum prope finis erit studiis, finisque labori,
Factaque erint quæ nunc sunt facienda mihi ;

Illo forte die, majorum audire juventam

Hâctenus exposcet si quis ab ore meo,

His dicam in studiis versabar, et hisce magistris ;

Hæc schola regnatric, hic comes, ille locus.

Insuper his addam, tunc quæ meminisse juvabit,

Quæ proficiscentem nunc celebrare juvat : 420

Unus erat qui post alios memorandus habetur,

Sed quia postremo est dignius ire loco—

Post procedentes sic ultimus invehitur rex :

Ultimus ascendi sic pede montis apex :

Longius a nobis servatur ut id quod amamus,
Tardius ut dabitur quod veneramur opus.—
Ille interque alios aliisque modestior ibat,
Queis fuit æque annis atque labore prior.
Indolis esse bonæ, satis hoc plausore carenti :
430 Per se sufficiet simplicitatis amor.
Canus erat, si canus erit cui tempora tantum
Cinguntur niveis mista colore comis.
Teste alio caruere anni, nisi forte remota
Signum oculis citius quam propiora darent.
At vegetæ nimium vires, aquilæque senectus,
Firmior ut juvenis corpore nemo foret :
Morboque intactus, sapientem hilaremque podagra
Monstrasset digito ni generosa suum.
Cedite, agebatis qui primas carmine partes,
440 Inferiorque uni sit modo cuique locus ;
Sit pia majorem laus agnovisse minori :
Corpus amet præ se tale tulisse caput.
—Res quascunque gerit fert experientia palmam,
Præcipue medicis esse videtur opus.
Nec satis est veterum totum legisse quod extat,
Nocteque teutonicos evoluisse libros :
Hoc genus infidum studii perit ante cubantes,
Hæc doctrina parum sufficit arte suis :
Fecisse, audivisse opus est, vigilasse, tulisse,
450 Et vidisse oculis et tetigisse manu :
Et qui, multa videns, servârit pectore multa,
Qui fretus studiis, fretus et ingenio,
Usque ad maturos artem perduxerit annos,
Is demum medici nomine dignus erit.
Hæc mea quo tendunt tum crassi exordia fili?—
PATRICIUS, qualem novimus, ecce NIGER !

Talis erat, talisque meam ditare solebat,
 Participemque sui multiplicare fidem.
 Haud fuit illius tantummodo noscere voces,
 Artis ab incepto quas elementa docent ; 460
 Nec quæ difficiles inducunt jurgia nugæ—
 Sit procul a tanto tantula cura viro—
 Nec voluit causas vacuis involvere verbis,
 Nec plusquam sapuit doctior ille capi :
 Nec medicamenti cujusque recentius orti
 Vim clamare novam,—fecit id ille parum.
 Si quis ad expressam faciem depingere nostrum,
 Et vera ante oculos ut sit imago velit,
 Fingat Heberdenum, qualem quasi picta tabella
 Demonstrant nobis scripta liberque virum : 470
 Longæ ille extremos fructus sibi carpserat artis,
 Usibus edoctus militiâque loci ;
 Viderat affectus quot sunt, genus omne malorum,
 Quomodo mors possit, quomodo vita trahi.
 Præteritique memor tenuit quod mente, valebat
 Et vetus esse recens, esse novumque vetus.
 Quod fuit id fuerat, quod vidit viderat ante,
 Quæ potuit scit se posse probata priùs.
 Utque futura foret prædixit rem, facienda
 Cum factis solitus ferre, diemque die. 480
 Jamque fuit facies illi veracior index
 Quam schola delinquens credibile esse sinit :
 Jamque tubo admovit gnarum caput auscultantis,
 Canitiem tergis apposuitque suam :
 Callida simplicibus latuit sapientia verbis,
 Certa fuit dictis judicioque fides :
 Sæpe incusabat morbi medicata secuti,
 Monstrabatque ægros sponte valere suâ :

Sæpe ægrescere rem docuit febremque medendo,
490 Augerique mali vim, fierique manu :
Fortia in affectu nisi digno nolle, darique
Mitia, quæ pariter commoda visa sequi.
Et quibus in rebus potis est natura superque,
Magnam ferre manum nil facientis opem.
Promptiùs at fuerit si facto opus, abfuit illi
Vanus ne faceret tum graviora timor.
Sæpe homines vidi sanari sanguine misso,
Tempore quo rarum mittere sanguen erat ;
Nec, plusquam solito quum quid statuisset agendum,
500 Tum visum est operæ quod voluisset iners ;
Simplicibus paucis fidebat, qualibus usi
Et pater Hippocrates et Sydenhamus erant ;
Et si forte novus rumor venisset ad aures,
Jactari ad quodvis quid speciale malum,
Tale aspernatus suspecto noluit uti,
Incomperta velut rejicit arma faber.
“ Plurima,” dicebat, “ vidi jactata, novumque
Ut cecidere diu quæ præiere cadet.
Nec teneo quidquam medicamen in omne valere,
510 Nec prodesse malo singula cuique puto.
Si qua tamen res sit communiter utilis ægris,
Est PANCHRESTA QUIES SORBILIORQUE CIBUS.”
Sæpius et vidi morbum patientis ab illo
Cognosci visu, decubituque viri ;
Quem physicis alter signis confisus habebat
De diversâ etiam conditione reum :
Quodque oculos medici cæcamque fefellerat artem,
Vita querebatur dum cruciata malum,
Vidi hujus, cum mors lucem abstraxisset, ab illo
520 Inspecto tantum corpore signa legi :

Sæpe mihi verbo repetita exempla monebant :
 Et peccata semel, ne gemerem alter idem :
 Multa rogabam etiam, nec tanta ad verba movebam
 Indociles aures immemoresve meas.
 —Nec pretium curæ tantum didicisse sub illo,
 Cujus erat dulci vita lepore levis.
 Ille minorem annis semper tractabat amicum,
 Par et inexperto jus dabat ille mihi ;
 Et labefactantes animum sermone levabat
 Demulcens curas consilioque meas. 530
 Quin subeunt risus et verba animantia vultus,
 Et toties salve-dicta, datæque manus.
 Et lepidus sermo suspensa que fabula naso,
 Ægroto dictus, proque cubile jocus.
 Et (reminiscor enim) quendam vidi ipse cubantem
 Debile tegmentis exseruisse caput,
 Auribus attentis verbum audivisse medentis,
 Auditoque joco dedoluisse simul.
 Seu pede seu curru vecto lætabar et illi
 Urbis in Hesperiiis obvius ire viis : 540
 Et mea quum casu penetralia parva subisset,
 Ornabat lætos tum memoresque Lares ;
 Spectantique novas tabulas, versusque legenti
 Non bene laudandam rem placuisse tamen.
 Meque hospes non bisve semelve vocabat ad ædes,
 Seu convivia erant seu mera cœna foret :
 Quo medicæ siluere operæ studiumque diurnum,
 Quæque audivi aliàs et graviora pati.
 Uxor ad exemplum cumulabat gaudia mensæ,
 Filia cantabat pulchra sonante lyrâ. 550
 Utque ingrata illos linquendos esse Penates,
 Queis bene nos placitos vidimus, hora monet :

Sic mihi, quem cecini, dolet ejurasse magistrum,
Sic dolet hos ipsos conticuisse modos.
Illius et cum scripta leget, si forte legentis
Otia delectent carmen opusque meum,
Non multum ergo animus videatur in arte valere,
Quantus si potero displicuisse pudor!



Sic mihi quoniam dicitur, dicitur quoniam
 Sic dicitur hoc dicitur dicitur dicitur
 Illud et cum scriptis lego, et dicitur dicitur
 Ope dicitur dicitur dicitur dicitur
 Non multum ego dicitur dicitur dicitur
 Quoniam et dicitur dicitur dicitur



